

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 2

1993

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis in Aëronavium Portu <i>Denverensi</i> habita	163
Ex allocutione Summi Pontificis ad iuvenes in <i>Cherry Creek State Park</i> congregatos habita	165
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Sacra Limina visitantes	167
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Australiae, visitationis "Ad Limina" occasione oblata	170
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Canadae Episcopos in sacrorum limi- num visitatione	171

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Responsio per generale decretum ad propositum quaesitum de can. 1673, 3° CIC . . .	174
--	-----

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	176
Pontificii Consilii Publicationes	177

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis») (Sessio XVII)	179
II. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis») (Sessio XVIII)	210
III. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio V)	230
IV. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio VI)	270
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	327
Notitiae	328

II
COETUS STUDII
« DE SACRA HIERARCHIA »

Sessio XVIII
(dd. 10-13 maii a. 1976 habita)

Diebus 10-13 maii 1976, in Aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studii « De Sacra Hierarchia », sub moderamine Exc.mi Castillo Lara, Commissionis Secretarii, atque Rev.mi Onclin, Secretarii adiuncti, qui munere Relatoris functus est. Aliquibus adunationibus adfuit quoque Em.mus Card. Felici, Commissionis Praeses.

Conventibus interfuerunt Exc.mi sex et Rev.mi quattuor Consultores atque Rev.dus Herranz, qui actuarii munere functus est. Adunationibus non interfuerunt Exc.mus unus atque Rev.mus unus Consultores, quia legitime impediti.

In initio Sessionis Exc.mus Secretarius salutem omnibus dicit, et in mentem eorum revocat quaestiones quae pertractandae sunt iuxta litteras convocationis, ultimas nempe revisiones canonum de Vicariis paroecialibus, de Vicariis foraneis seu decanis atque de ecclesiarum rectoribus. Perpendenda deinde erit quaestio de qua discussio facta est in fine praecedentis sessionis circa novam figuram iuridicam « coetus sacerdotum » (« équipe ») qui sit parochus.


Deliberationes ergo incipiunt ab ultima recognitione canonum « De vicariis paroecialibus ».

I. DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Can. 25 (CIC 476, §§ 1-2)

Textus in schemate propositus ita sonat:

« § 1. Ubi ad pastorem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parochus adiungi possunt unus aut plures vicarii paroeciales, sacerdotes nempe qui, tanquam parochi cooperatores eiusque sollicitudinis participes, operam in ministerio pastoralis praestent, communi cum parochus consilio et studio, atque sub eiusdem auctoritate, munera docendi, sanctificandi et regendi communitatem christifidelium paroecialem exsequentes.



§ 2. Vicarius paroecialis constitui potest sive ut opem ferat in universo ministerio pastoralis explendo, et quidem aut pro tota paroecia aut pro determinata paroeciae parte aut pro certo paroeciae christifidelium coetu, sive etiam ut operam impendat ad certum ministerium in diversis insimul determinatis paroeciis persolvendum ».

Proponitur ab Exc.mo Secretario et Rev.mo primo Consultore ut secunda pars § 1 simplicior reddatur, quia non videtur necessaria enumeratio munerum. Rev.mus Secretarius Ad. sequentem suggerit emendationem, quae ab omnibus recipitur: « ... participes, communi cum parochio consilio et studio, atque sub eiusdem auctoritate, operam in ministerio paroeciali praestent ».

Nulla fit animadversio ad § 2.

Can. 26 (novus)

Hic est textus schematis:

« § 1. Ut quis valide in vicarium paroecialem constituatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Vicarius constituatur sacerdos qui sana doctrina morumque probitate praestat quique iis gaudet qualitatibus quae ad curam pastorem erag populum de quo agitur idonee participandam requiruntur ».

Exc.mus secundus Consultor censet § 1 non esse necessariam, quia hoc iam dicitur in canone praecedenti.

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Ad., cui Exc.mus secundus et alii Consultores accedunt, melius esse hanc paragraphum servare, quia habetur hodie tendentia ut diaconi constituantur vicarii paroeciales: quod theologice et iuridice sustineri nequit. Praeterea agitur de conditione sine qua non et oportet ut explicite ponatur in canone.

Nulla alia animadversio fit.

Can. 27 (CIC 476, §§ 3-4)

Ita sonat textus:

« § 1. Sacerdotem clero dioecesano adscriptum libere vicarium paroecialem nominat loci Ordinarius, audito parochio aut parochis paroeciarum pro quibus constituitur, necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneu seu decano.

§ 2. Ad sodalem Instituti perfectionis aut clericorum societatis vicarium constituendum quod attinet, Superior instituti aut societatis secun-

dum constitutiones competens eum praesentat loci Ordinario, cuius est, servato praescripto § 1, eum instituere».

Ad § 1, in fine, proponitur ab Exc.mo Secretario ut deleantur verba «necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneo seu decano», quia: 1) in multis regionibus figura vicarii foranei seu decani non habetur; 2) dicitur «si opportunum id iudicaverit», quod quidem facere potest Ordinarius etiam si non explicite dicitur. Obiicit tamen Rev.mus tertius Consultor multas etiam haberi regiones in quibus decani constituti sunt et oportet ut ipsi audiantur, quia sunt responsables respectivae zonae pastoralis: eandem sententiam tenent Exc.mi quartus, quintus et sextus Consultores. His dictis attentis, proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut textus § 1 maneat uti est, quod omnibus placet.

Ad § 2 suggerit Rev.mus primus Consultor ut, uniformitatis terminologicae causa, dicatur in lin. 3 «secundum ius proprium», loco «secundum constitutiones». Animadversio recipitur ab omnibus.

Emendantur quoque expressiones quae diverso modo exprimuntur in aliis schematibus: loco «Instituti perfectionis» dicitur «Instituti vitae consecratae»; et «Moderator» loco «Superior».

Can. 28 (CIC 476, § 6)

Textus schematis ita sonat:

«§ 1. Vicarii paroecialis obligationes et iura statutis dioecesanis necnon litteris loci Ordinarii definiuntur, magis autem in specie parochi commissione determinantur; unicuique autem vicario paroeciali proprium ipsi laboris apostolici campum assignet loci Ordinarius, si agatur de vicario pluribus insimul paroeciis dato, loci Ordinarius aut paroeciae parochus, si agatur de vicario pro una paroecia constitutus.

§ 2. Nisi aliud expresse litteris loci Ordinarii caveatur, vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali ministerio explendo adiuvandi excepta quidem applicatione Missae pro populo, atque, si res ferat, parochi vicem supplendi.

§ 3. Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis et susceptis ad parochum referat, ut parochus et vicarius aut vicarii, concordati semper voluntate et coniunctis viribus, pastoralis curae providere valeant paroeciae, cuius insimul sunt sponsores».

Exc.mus Secretarius animadvertit secundam partem § 1 non esse necessariam, quia revera omnia dicta iam sunt in linn.1-3. Placet animadversio, ideoque delentur verba «unicuique autem... paroecia constitutus».

Placet quoque, proponente Rev.mo Secretario Ad. ut sequentes fiant emendationes: in § 2, lin. 4, dicatur «atque, si res ferat *ad normam iuris*, parochi...»; in § 3, lin. 4, dicatur «populi» loco «paroeciae».

Nulla alia animadversio fit, et canon probatur cum supradictis mutationibus.

Can. 29 (novus)

Hic est textus canonis:

«Nisi aliter loci Ordinarius providerit, absente parochi, ad normam can. 21 § 1 et § 5, eiusdem locum tenet, cum omnibus parochi facultatibus et iuribus in his quae ad curam pastorem pertinent, vicarius paroecialis eidem paroeciae datus et, si plures sint, eorum nominatione antiquior; qui quidem omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo».

Notat Rev.mus Secretarius Ad., cui et alii accedunt, ita emendandum esse textum ad normam can. 20, § 3 de parochis: «Nisi aliter loci Ordinarius providerit, *ad normam can. 20, § 3 parochi absente aut impedito, eiusdem* locum tenet...».

Can. 30 (CIC 76, § 5)

Textus schematis est:

«§ 1. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia, aut si pro diversis simul paroeciis constitutus est in earum aliqua, residendi, secundum praescripta statutorum dioecesis vel probatas consuetudines aut Episcopi dioecisani praescriptum; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut extra paroeciam resideat, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne pastoralium perfunctio munerum exinde detrimentum capiat.

§ 2. Curet loci Ordinarius, ad normam can. 134 (recogniti), ut inter parochum et vicarios aliquod vitae consortium foveatur, utque consuetudo vitae communis in domo paroeciali, ubi id fieri possit, provehatur.

§ 3. Ad tempus vacationis quod attinet, vicarius paroecialis eodem gaudet iure ac parochus ad normam can. 21 §§ 2 et 3».

Proponente Rev.mo Secretario Ad., placet ut in § 1, lin. 6, dicatur «alibi» loco «extra paroeciam»; in § 3, lin. 2 haec fit emendatio: «ad normam can. 20, § 2».

Nulla alia fit animadversio.

Can. 31 (novus)

Hic est textus in schemate propositus:

« Praestationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles offerunt ad parochum deferat vicarius paroecialis nisi de contraria offerentium voluntate constet quoad praestationes non debitas; Episcopo dioecesano, audito Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus aequae praestationum inter parochum et vicarios distributioni provideatur ».

Non placet Exc.mo secundo Consultori ut, per verba « praestationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis », significetur mens exigendi taxas tanquam rem debitam et necessariam.

Animadvertunt tamen Exc.mus Secretarius, Rev.mi primus, tertius et alii Consultores principium ut taxae ecclesiasticae habeantur sustineri debere; hoc nempe principium congruit cum traditione primaevae Ecclesiae doctrinaque S. Pauli; praeterea hic est saepe unicus fons ex quo obtineri possunt media ad honestam sacerdotum sustentationem.

Redactio autem canonis ita forsan mutari potest ut non appareat tale principium uti factum nimis personalisticum; hodie quidem habentur ex praescriptionibus Concilii Vaticani II massae communes bonorum.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, cuius in fine sequens formula probatur ad mentem Decr. « Presbyterorum Ordinis », nn. 20 et 21:

« Oblationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles faciunt ad massam paroecialem deferat vicarius paroecialis, nisi de contraria offerentis voluntate constet quoad obligationes plene voluntarias; Episcopo dioecesano, audito Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus destinationi harum oblationum necnon remunerationi singulorum sacerdotum idem ministerium implentium provideatur ».

Hoc in eodem sensu revisendus est canon 18 de parochis.

Can. 32 (CIC 477, § 1)

Ita sonat textus in schemate propositus:

« Vicarius paroecialis e clero dioecesano ab Episcopo dioecesano aut Administratore dioecesano, non autem a Vicario generali aut episcopali, sine speciali mandato, amoveri potest, iusta de causa, prudenti eius arbitrio, naturali quidem aequitate servata; vicarius paroecialis sodalis alicuius Instituti perfectionis aut societatis clericorum amoveri potest ad normam can. 24 § 2 ».

Duae fiunt emendationes a Rev.mis Secretario Ad. et tertio Consultore propositae: «Clero *saeculari*» loco «clero dioecetano» (lin. 1); «Instituti *vitalis consecratae*» loco «Instituti perfectionis» (lin. 5-6).

II. DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

Can. 33 (CIC 445)

Ita sonat textus:

«§ 1. Vicarius foraneus seu decanus seu archipresbyter est sacerdos qui vicariatu foraneo seu decanatu, de quo in can. 8 (de circumscriptionibus ecclesiasticis), ab Episcopo dioecetano praeficitur, ut ibidem nomine Episcopi munera expleat in canonibus quae sequuntur definita.

§ 2. Vicarius foraneus nominatur ab Episcopo dioecetano, auditis sacerdotibus in vicariatu de quo agitur ministerium implentibus».

Quaedam moventur obiectiones contra § 2, circa modum nominationis Vicarii foranei. Exc.mi quartus, secundus, sextus et primus Consultores, atque Rev.mus Secretarius Ad. notant pericula quae oriri possunt ex statuta consultatione; aptius videtur ut Episcopus agat singulis in casibus prudentiori quem censet modo: quandoque enim utilis esse potest consultatio omnium sacerdotum, quandoque vero quorundam tantum, etc.

Exc.mus septimus Consultor quaerit ut simpliciter dicatur «libere ab Episcopo dioecetano nominantur».

Rev.mus octavus Consultor sequentem proponit formulam: «auditis, si prudentiae ratione ita opportunum censuerit, nonnullis sacerdotibus eiusdem vicariatus».

Denique Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et omnibus placet propositio, ut ita emendetur textus: «*auditis pro suo prudenti iudicio sacerdotibus in vicariatu de quo...*».

Can. 34 (CIC 446)

Hic est textus schematis:

«§ 1. Ad officium vicarii foranei, quod cum officio parochi certae parochiae non ligatur, Episcopus eligat sacerdotem quem, inspectis loci ac temporis adiunctis, ad munera de quibus in can. 35 exercenda idoneum iudicaverit, et quidem sive aliquem parochum vicariatus foranei seu decanatus sive sacerdotem qui officio parochi non fungitur.

§ 2. Vicarius foraneus nominetur ad certum tempus, secundum praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

§ 3. Vicarium foraneum iusta de causa, pro suo prudenti arbitrio, Episcopus dioecesanus ab officio libere amovere potest ».

Quaerit Exc.mus secundus Consultor an necessarium sit ut dicatur « quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hic agi de mutatione iuris vigentis, ideoque oportet ut dicatur. Ipse Rev.mus sequentes emendationes proponit, quae recipiuntur:

in § 1, lin. 2, dicatur « *seligat* » loco « *eligat* »;

in § 2, lin. 1-2 ponatur « *tempus iure particulari determinatum* » loco « secundum praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta ».

Nulla alia animadversio fit, et canon probatur ab omnibus cum praedictis emendationibus.

Can. 35 (CIC 447-448)

Ita sonat textus schematis:

« § 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei legitime tribuunt Concilium particulare vel Episcoporum Conferentia, Synodus dioecesana vel Episcopus atque attentis normis ab iisdem statutis, officium et ius est potissimum:

1° universa quae ad pastorem actionem studia et incepta in Vicariatu foraneo sibi commissio suscipiunt clerici, religiosi et laici, promovendi, moderandi et coordinandi;

2° prospiciendi ut sacerdotes alique clerici sui districtus vitam ducant proprio statui congruam, utque officiis suis diligenter satisfaciant, in specie ut verbi divini ministerium debite persolvant catecheticaeque institutionem ad normam can. 1345, 1348 et 1351 tradant, ut sacramenta christifidelibus administrent, utque legem residentiae servant;

3° providendi ut sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum et sacrae suppellectilis, maxime in celebratione eucharistica et custodia sanctissimi Sacramenti, accurate servetur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, utque domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In Vicariatu sibi concredito Vicarius foraneus:

1° fraterna sollicitudine prosequatur presbyteros aliosque clericos in territorio adlaborantes, confidentem cum eis consuetudinem habens atque communi cum eis consilio curans ut opus pastorale fructuose perficiatur:

2° operam det ut presbyteri aliique clerici, iuxta iuris particularis praescripta, statutis ab eodem temporibus, praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, ad normam can. 129 (recogniti), intersint;

3° curet ut presbyteris aliisque clericis sui districtus subsidia spiritualia praesto sint, utque ipsis quae ad vitam honeste et digne ducendam subsidia materialia non desint, atque maxime sollicitus sit de iis sacerdotibus qui in difficilioribus versantur circumstantiis aut problematibus aguntur, eosdem frequenter visitans.

§ 3. Curet Vicarius foraneus ne parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus careant auxiliis, utque eorum qui decesserint funera celebret; provideat quoque ne, eis aegrotantibus vel decedentibus, libri, documenta, sacra supplex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

§ 4. Vicarius foraneus obligatione tenetur, statutis ab Episcopo dioecesano temporibus, sui districtus paroecias visitandi ».

Quoad § 1, fiunt tantum sequentes emendationes claritatis causa: in lin. 3 dicendum est « Episcopus *dioecesanus* »; in n. 1°, lin. 2 ponitur « *sodales Institutorum vitae consecratae* » loco « *religiosi* »; in n. 2° « *tradant* » loco « *curent* ».

Exc.mus quintus Consultor quaerit an dicendum sit in § 1 Vicarios foraneos personam Episcopi repraesentare.

Respondent Exc.mus Secretarius et alii Consultores hoc non ita esse sub respectu iuridico; hanc repraesentationem tantum habent Vicarii generales et Vicarii episcopales. Praeterea, uti notat Rev.mus octavus Consultor, in canone 33 iam dicitur Vicarium foraneum « nomine Episcopi » munera sua explere.

Quoad § 2, 1°, sequens fit additio ad mentem Exc.mi secundi Consultoris « ...aliosque *qui* in territorio *sibi concredito ministerio sese devovent*, confidentem... ». Ita enim sollicitudo adhibetur erga omnes christifideles qui servitio Ecclesiae per ministeria quaedam ecclesiastica sese devovent.

Proponente quoque Exc.mo secundo Consultore, in § 4 dicitur: « *secundum determinationem ab Episcopo dioecesano factam* » loco « *statutis ab Episcopo dioecesano temporibus* ».

Can. 36 (CIC 448, § 2)

Ita sonat textus schematis:

« Vicarius foraneus, qui non sit parochus, residere debet in territorio vicariatus aut saltem in loco non multum distante, secundum normas ab Episcopo dioecesano definiendas ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut hic canon deleatur, quia non videtur necessarius. Omnes Consultores huic propositioni accedunt.

Can. 37 (nunc 36) (CIC 449)

Ita sonat textus in schemate proposito:

« Semel saltem in anno, statuto ab Episcopo tempore, Vicarius foraneus de statu paroeciarum sui districtus, de actione pastoralis in eodem expleta et prospecta, necnon de votis presbyterorum Episcopo dioecesano rationem reddat ».

Proponentibus Exc.mo quarto atque Rev.mo tertio Consultoribus, sequens additio fit in lin. 3: « ... aliorumque *qui in territorio sibi concredito ministerio sese devotent...* ».

Can. 38 (nunc 37) (CIC 450, § 1)

Ita sonat textus:

« Vicarius foraneus sigillum habeat vicariatus proprium ».

Nulla fit animadversio, ideoque textus probatur uti propositus est.

Ita expleto examine horum canonum de Vicariis foraneis seu decanis, Exc.mus Secretarius, cui et Exc.mus secundus Consultor accedit, sequentia patefacit: omnibus attentis normis quae his in canonibus statuuntur, et quidem saepe cum determinationibus nimis particularibus, videtur hanc legislationem apparatus esse pro dioecesibus praesertim europaeis, quae copiam sacerdotum habent; attamen multae in Ecclesia sunt dioeceses, praesertim in America Latina, ubi res diversimode se habent, sive quoad numerum sacerdotum, sive quoad ipsam organizationem operis pastoralis, etc. Opportunum ergo non apparet ut figura Vicarii foranei seu decani per legem generalem Ecclesiae omnibus dioecesibus imponatur, saltem modo nimis rigido et cum tot concretis determinationibus.

Exc.mus septimus dicit figuram Vicarii foranei exsistere in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, praesertim in dioecesibus ruralibus, sed modo apte accommodato ad locorum peculiaris adiuncta.

Animadvertit Exc.mus Secretarius quaestionem non esse de nomine vel de accommodatione huius figurae iuridicae, sed potius de facultatibus quae Vicario foraneo in lege generali tribuuntur, quibus Vicarius fere assimilatur Episcopo saltem in parvis dioecesibus.

Exc.mus quintus Consultor notat in canone 8 de circumscriptionibus ecclesiasticis normam haberi de Vicariatibus foraneis qua etiam praevidetur ut decanus re vera non habeatur; dicitur enim: « Ubi, ob locorum vel temporum adiuncta, Vicariatus foranei de iudicio Episcopi dioecesani, audito Consilio presbyterali, constitui non possunt, dioecesis dividatur in partes territoriales, in quibus singulis Vicarii episcopales muneribus fungantur quae iure Vicario foraneo competunt ».

Exc.mus quartus Consultor proponit ut functiones quae in canone 35 tribuuntur Vicario foraneo ponantur tanquam officia et munera quae Episcopus eidem tribuere *potest*, sed non necessarie debet.

His omnibus perpensis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, ad quaestionem solvendam, ut formula canonis 8, § 2 de circumscriptionibus ecclesiasticis ita emendetur: «... constitui non possunt, dioecesis *dividi potest* in partes territoriales, *quibus singulis praeficitur Vicarius episcopalis* ».

Facta suffragatione, haec formula ab omnibus recipitur. Non placet Rev.mo tertio Consultori, quia ita infirmari potest figura iuridica Vicarii foranei.

III. DE ECCLESiarUM RECTORIBUS

Can. 39 (nunc 38) (CIC 479)

Textus in schemate propositus est sequens:

« § 1. Ecclesiarum rectores hic intelliguntur sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitatis Instituti perfectionis, quae in eadem officia celebret.

§ 2. De cappellano sodalium mulierum Instituti perfectionis, sodalium virorum laicalis Instituti perfectionis, aliusve legitimae christifidelium consociationis, servantur particularium canonum praescripta; cappellani vero est universas quae in ecclesia cui praest celebrantur liturgicas functiones moderari atque prospicere ut nihil in ecclesia fiat sanctitati loci contrarium ».

Proponente Rev.mo Secretario Ad. omnibus placet ut sequentes fiant emendationes: in § 1, lin. 3, dicatur «... Instituti vitae consecratae et cleri-

corum Societati, quae ... »; in § 2, lin. 1-2: «... mulierum necnon virorum laicalis Instituti vitae consecratae, aliusve legitimae... ».

Nulla fit animadversio, ideoque canon probatur cum praedictis emendationibus.

Can. 40 (nunc 39) (CIC 480)

Hic est textus:

« § 1. Ecclesiae rector libere nominatur loci Ordinario, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu loci Ordinarii est rectorem confirmare vel instituere.

§ 2. Etiam si ecclesia pertineat ad aliquod Institutum perfectionis exemptum, rector tamen a Superiore praesentatus ab Ordinario loci institui debet.

§ 3. Rector ecclesiae, quae coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, est Superior Seminarii vel collegii, nisi aliter loci Ordinarius constituerit ».

Uniformitatis terminologicae atque claritatis causa, probatur sequens emendatio in § 2 introducenda: «... ad aliquod Institutum vitae consecratae exemptum, Ordinario loci competit rectorem a Moderatore praesentatum instituere ».

Nulla alia animadversio fit.

Can. 41 (nunc 40) (CIC 481)

Ita sonat textus in schemate propositus:

« Functiones paroeciales in ecclesia sibi commissa rectori peragere non licet ».

Magis placet, ad mentem Exc.mi Secretarii, Rev.mi Secretarii Ad. et aliorum Consultorum ut formula canonis ita exaretur:

« Salvo can. ... (de Seminariis) functiones paroeciales in ecclesia sibi commissa rectori peragere non licet, nisi consentiente aut, si res ferat, delegante parrocho ».

Can. 42 (nunc 1) (CIC 482)

Textus schematis ita sonat:

« Potest rector in ecclesia sibi commissa divina officia etiam sollemnia celebrare, salvo legitimis foundationis legibus, atque dummodo non noceant

ministerio paroeciali; in dubio utrum eisdem detrimento sint necne, loci Ordinarii est rem dirimere et opportunas quibus vitetur normas praescribere ».

Nulla fit animadversio, ideoque formula canonis probatur uti proposita est.

Can. 43 (nunc 42) (CIC 483)

Hic est textus schematis:

« § 1. Si ecclesia, loci Ordinarii iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine vero incommodo ecclesiam paroecialem adire ibique divinis officiis interesse possint:

1) Loci Ordinarius, comminatis etiam poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos, dies ieiunii et abstinentiae, aliaque quae ad vitam paroecialem pertinent denuntiet, atque homiliam, institutionemque catechetica ad normam iuris curet.

2) Parochus potest ex eadem ecclesia sanctissimum Sacramentum, ibidem ad normam can. 1265 (recogniti) forte asservatum, pro infirmis desumere.

§ 2. Ubi necessitas pastoralis id suadeat Ordinarius loci praecipere potest rectori ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem officia celebraturis.

Animadvertit Exc.mus Secretarius canonem nimis implicatum esse; sufficeret si in lege generali enuntietur tantum principium generale. Animadversio ab omnibus recipitur. Quapropter placet, proponente Rev.mo Secretario Ad. ut formula canonis ita simplificetur:

« Ubi id opportunum ipsi videatur, potest loci Ordinarius rectori praecipere ut determinatas in ecclesia sua pro populo celebret functiones etiam paroeciales, necnon ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem officia celebraturis ».

Can. 44 (nunc 43) (CIC 484)

Textus schematis hic est:

§ 1. Sine rectoris aliusve legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Eucharistiam celebrare, Sacramenta administrare aliasve sacras functiones peragere; quae vero licentia detur aut denegetur ad normam iuris.

§ 2. Ad verbi Dei praedicationem in ecclesia quod attinet, servantur praescripta canonum 1337-1342 (recognitorum) ».

Exc.mus nonus Consultor proponit et placet ut in § 1 deleantur verba « saltem praesumpta ».

Nulla alia animadversio fit, et textus canonis probatur cum praedicta emendatione.

Can. 45 (nunc 44) (CIC 485)

Formula proposita in schemate ita sonat:

« Ecclesiae rector, sub auctoritate loci Ordinarii servatisque legitimis statutis et iuribus quaesitis, obligatione tenetur prospiciendi ut sacrae functiones secundum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona diligenter administrentur, sacrae supellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori provideatur, et ne quidpiam fiat quod sacritati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoque modo repugnet ».

Ad mentem Rev.mi primi et aliorum Consultorum placet ut in lin. 7 dicatur « non congruat » loco « repugnet ».

Nulla alia animadversio fit.

Can. 46 (nunc 45) (CIC 486)

Hic est textus schematis:

« Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, loci Ordinarius ex iusta causa, pro suo prudenti arbitrio ab officio amovere potest; quod si rector sit sodalis instituti perfectionis aut societatis clericorum, servetur, ad eius amotionem quod attinet, praescriptum can. 24 § 2 ».

Uniformitatis terminologicae causa dicitur, in lin.3 « Instituti vitae consecratae ».

Nulla alia animadversio fit, ideoque canon probatur cum supradicta emendatio.

IV. DE PAROCHIS

Exc.mus Secretarius sequentia exponit quoad novam legislationem de paroeiis et de parochis: uti probatum fuit in fine praecedentis Sessionis, informationes postulatae sunt a Sacra Congregatione de Clericis circa novam figuram iuridicam « coetus sacerdotum » (« équipe ») qui sit parochus. Responsum tamen fuit quod hac in re non habentur experientiae in Sacra Congregatione neque elaboratae sunt normae iuxta quas haec nova figura iuridica ad experimentum introduci possit.

Rebus sic stantibus, animadvertunt Exc.mi sextus et septimus, Rev.mi primus, tertius et alii Consultores absonum esse ut memorata figura iuridica, circa quam non parvae difficultates iuridicae habentur uti iam visum est in praecedenti sessione studii, sic et simpliciter in nova legislatione introducatur, et quidem pari iure ac figura iuridica parochi qui sit persona physica.

His dictis accedit Exc.mus nonus Consultor, qui suggerit ut: 1) in legislatione generali seu communi Ecclesiae primum locum obtineat figura parochi qui sit persona physica; 2) in fine huius schematis possibilitas addatur habendi parochum qui sit «coetus sacerdotum»: si Episcopus iudicat, attentis necessitatibus pastoralibus suae dioecesis, hoc esse re vera utile; 3) hoc in casu «coetus» semper habere debet suum proprium Moderatorem, qui personaliter sit responsabilis coram Episcopo dioecesano, etsi alii quoque sacerdotes eiusdem coetus dici possint sub respectu pastoralis «coresponsabiles».

Huic propositioni accedunt Em.mus Praeses et ceteri Consultores qui sequentia quoque approbant: 1) ut in canone 1 et sequentibus sermo tantum fiat de parochi qui est persona physica (Exc.mi quintus, quartus, septimus et alii Consultores); 2) ut de parochi qui sit «coetus sacerdotum» sermo tantum fiat in fine schematis, in duobus vel tribus canonibus, in quibus omnia de hac particulari figura contineantur (Exc.mi quartus, sextus, et alii Consultores); 3) ut, si agatur de una tantum paroecia «coetui sacerdotum» concredita, potestas ordinaria tribuatur unice Moderatori, etsi alii sacerdotes «coetus» vicariis paroecialibus non absolute assimilentur (Em.mus Praeses, Exc.mi septimus, sextus, secundus, Rev.mi primus, tertius et alii Consultores).

Placet quoque omnibus ut, his probatis prae oculis habitis, Secretaria Commissionis ad emendandam legislationem de paroeciis et de parochis procedat; etenim non videtur necessarium ut nova Sessio studii habeatur ad hanc tantum quaestionem pertractandam, quae iam satis discussa est.

Post hanc postremam deliberationem, Em.mus Praeses Commissionis gratias ex corde agit Consultoribus huius Coetus «De Sacra Hierarchia», qui per decem annos impense ac fructuose adlaboravit in recognoscendis et complendis canonibus Partis Primae Libri Secundi Codicis Iuris Canonici.

Deinde, precibus de more dictis, Cardinalis Praeses adunationem conclusam declarat.

Romae, die 13 maii 1976.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum

CANONES IN HAC XVIII^a SESSIONE APPROBATI

I. DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Can. 25 (CIC, can. 476 §§ 1-2).

§ 1. Ubi ad pastorem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parochus adiungi possunt unus aut plures vicarii paroeciales, sacerdotes nempe qui tanquam parochi cooperatores eiusque sollicitudinis participes, communi cum parochus consilio et studio, atque sub eiusdem auctoritate, operam in ministerio pastoralis praestent.

§ 2. Vicarius paroecialis constitui potest sive ut opem ferat in universo ministerio pastoralis explendo, et quidem aut pro tota paroecia aut pro determinata paroeciae parte aut pro certo paroeciae christifidelium coetu, sive etiam ut operam impendat ad certum ministerium in diversis insimul determinatis paroeciis persolvendum.

Can. 26 (novus)

§ 1. Ut quis valide in vicarium paroecialem constituatur requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Vicarius constituatur sacerdos qui sana doctrina morumque probitate praestat quique iis gaudet qualitatibus quae ad curam pastorem erga populum de quo agitur idonee participandam requiruntur.

Can. 27 (CIC, can. 476 §§ 3-4)

§ 1. Sacerdotem clero dioecisano adscriptum libere vicarium paroecialem nominat loci Ordinarius, audito parochus aut parochis paroeciarum pro quibus constituitur, necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneo seu decano.

§ 2. Ad sodalem Instituti vitae consecratae aut clericorum societatis vicarium constituendum quod attinet, moderator Instituti aut societatis secundum ius proprium competens eum praesentat loci Ordinario, cuius est, servato praescripto § 1, eum instituere.

Can. 28 (CIC, can. 476 § 6)

§ 1. Vicarii paroecialis obligationes et iura praeterquam canonibus huius tituli statutis dioecesanis necnon litteris loci Ordinarii definiuntur, magis autem in specie parochi commissione determinantur.

§ 2. Nisi aliud expresse litteris loci Ordinarii caveatur, vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali ministerio explendo adiuvandi, excepta quidem applicatione Missae pro populo; atque, si res ferat ad normam iuris, parochi vicem supplendi.

§ 3. Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis et susceptis ad parochum referat, ut parochus et vicarius aut vicarii, concordati semper voluntate et coniunctis viribus, pastoralis curae providere valeant paroeciae, cuius insimul sunt sponsores.

Can. 29 (novus)

Nisi aliter loci Ordinarius providerit, ad normam can. 20 § 3 parochus absente aud impedito, eiusdem locum tenet, cum omnibus parochi facultatibus et iuribus in his quae ad curam pastorem pertinent, vicarius paroecialis eidem paroeciae datus et, si plures sint, eorum nominatione antiquior; qui quidem omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo.

Can. 30 (CIC, can. 476 § 5)

§ 1. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia, aut si pro diversis simul paroeciis constitutus est in earum aliqua, residendi, secundum praescripta statutorum dioecesis vel probatas consuetudines aut Episcopi dioecisani praescriptum; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut alibi resideat, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne pastoralium perfunctio, munerum exinde detrimentum capiat.

§ 2. Curet loci Ordinarius, ad normam can. 134 (recogniti), ut inter parochum et vicarios aliquod vitae consortium foveatur, utque consuetudo vitae communis in domo paroeciali, ubi id fieri possit, provehatur.

§ 3. Ad tempus vocationis quod attinet, vicarius paroecialis eodem gaudet iure ac parochus, ad normam can. 20, § 2.

Can. 31 (novus)

Oblationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles faciunt ad massam paroecialem deferat vicarius paroecialis, nisi de contra-

ria offerentis voluntate constet quoad oblationes plene voluntarias; Episcopo dioecesano, audito Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus destinationi horum oblationum necnon remunerationi singulorum sacerdotum idem ministerium implentium provideatur.

Can. 32 (CIC, can. 477 § 1)

Vicarius paroecialis e clero seculari ab Episcopo dioecesano aut Administratore dioecesano, non autem a Vicario generali aut episcopali, sine speciali mandato, amoveri potest, iusta de causa, prudenti eius arbitrio, naturali quidem aequitate servata; vicarius paroecialis sodalis alicuius Instituti vitae consecratae aut societatis clericorum, amoveri potest ad normam can. 24 § 2.

II. DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

Can. 33 (CIC, can. 445)

§ 1. Vicarius foraneus, qui et decanus vel archipresbyter vocatur, est sacerdos qui vicariatui foraneo seu decanatu, de quo in can. 8 (de circumscriptionibus ecclesiasticis) ab Episcopo dioecesano praeficitur, ut ibidem nomine Episcopi munera expleat in canonibus quae sequuntur definita.

§ 2. Vicarius foraneus nominatur ab Episcopo dioecesano auditis pro suo prudenti iudicio sacerdotibus in vicariatu de quo agitur ministerium implentibus.

Can. 34 (CIC, can. 446)

§ 1. Ad officium vicarii foranei, quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur, Episcopus seligat sacerdotem quem, inspectis loci ac temporis adiunctis, ad munera de quibus in can. 35 exercenda idoneum iudicaverit, et quidem sive aliquem parochum vicariatus foranei seu decanatus sive sacerdotem qui officio parochi non fungitur.

§ 2. Vicarius foraneus nominetur ad certum tempus, iure particulari determinatum.

§ 3. Vicarium foraneum iusta de causa, pro suo prudenti arbitrio, Episcopus dioecesanus ab officio libere amovere potest.

Can. 35 (CIC, can. 477-448)

§ 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei legitime tribuunt Concilium particulare vel Episcoporum Conferentia, Synodus dioecesis vel Episcopus dioecesanus, atque attentis normis ab iisdem statutis, officium et ius est potissimum:

1° universa quae ad pastorem actionem studia et incepta in Vicariatu foraneo sibi commissio suscipiunt clerici, sodales institutorum vitae consecratae et laici, promovendi, moderandi et coordinandi;

2° prospiciendi ut sacerdotes alique clerici sui districtus vitam ducant proprio statui congruam, utque officiis suis diligenter satisfaciant, in specie ut verbi divini ministerium debite persolvant, catecheticaeque institutionem ad normam can. 1345, 1348 et 1351 tradant, ut sacramenta christifidelibus administrent, utque legem residentiae servent;

3° providendi ut sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum et sacrae suppellectilis, maxime in celebratione eucharistica et custodia sanctissimi Sacramenti, accurate servetur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, utque domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In Vicariatu sibi concredito Vicarius foraneus:

1° fraterna sollicitudine prosequatur presbyteros aliosque qui in territorio sibi concredito ministerio sese devovent, confidentem cum eis consuetudinem habens atque communi cum eis consilio curans ut opus pastorale fructuose perficiatur;

2° operam det ut presbyteri alique clerici, iuxta iuris particularis praescripta, statutis ab eodem temporibus, praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, ad normam can. 129 (recogniti), intersint;

3° curet ut presbyteris aliisque clericis sui districtus subsidia spiritualia praesto sint, utque ipsis quae ad vitam honeste et digne ducendam subsidia materialia non desint, atque maxime sollicitus sit de iis sacerdotibus qui in difficiliis versantur circumstantiis aut problematibus anguntur, eosdem frequenter visitans.

§ 3. Curet Vicarius foraneus ne parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus careant auxiliis, utque eorum qui decesserint funera celebret; provideat quoque ne, eis aegrotantibus vel decedentibus, libri, documenta, sacra suppellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

§ 4. Vicarius foraneus obligatione tenetur, secundum determinationem ab Episcopo dioecesano factam, sui districtus paroecias visitare.

Can. 37 (CIC, can. 4449) (nunc can. 36)

Semel saltem in anno, statuto ab Episcopo tempore, Vicarius foraneus de statu paroeciarum sui districtus, de actione pastoralis in eodem expleta et prospecta, necnon de condicionibus votisque presbyterorum aliorumque qui in territorio sibi concredito ministerio sese devovent Episcopo dioecesano rationem reddat.

Can. 38 (CIC, can. 450 § 1) (nunc can. 37)

Vicariatus foraneus sigillum habeat vicariatus proprium.

III. DE ECCLESIARUM RECTORIBUS

Can. 39 (CIC, can. 479) (nunc can. 38)

§ 1. Ecclesiarum rectores hic intelliguntur sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec annexa domui communitalis Instituti vitae consecratae et clericorum societati, quae in eadem officia celebret.

§ 2. De cappellano sodalium mulierum necnon virorum laicalis Instituti vitae consecratae, aliusve legitimae christifidelium consociationis, servantur particularium canonum praescripta; cappellani vero est universas quae in ecclesia cui praeest celebrentur liturgicas functiones moderari atque prospicere ut nihil in ecclesia fiat sanctitati loci contrarium.

Can. 40 (CIC, can. 480) (nunc can. 39)

§ 1. Ecclesiae rector libere nominatur a loci Ordinario, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu loci Ordinarii est rectorem confirmare vel instituere.

§ 2. Etiam si ecclesia pertineat ad aliquod Institutum vitae consecratae exemptum, ordinario loci competit rectorem a moderatore praesentatum instituere.

§ 3. Rector ecclesiae, quae coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, est Superior Seminarii vel collegi, nisi aliter loci Ordinarius constituerit.

Can. 41 (CIC can. 481) (nunc can. 40)

Salvo can... (de seminariis) functiones paroeciales in ecclesia sibi commissae rectori peragere non licet, nisi consentiente aut, si res ferat, delegante paroco.

Can. 42 (CIC, can. 482) (nunc can. 41)

Potest rector in ecclesia sibi commissae divina officia etiam sollemnia celebrare, salvo legitimis fundationis legibus, atque dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio utrum eisdem detrimento sint necne, loci Ordinarii est rem dirimere et opportunas quibus vitetur normas praescribere.

Can. 43 (CIC, can. 483) (nunc can. 42)

Ubi id opportunum ipsi videatur potest loci Ordinarius rectori praecipere ut determinatas in ecclesia sua pro populo celebret functiones etiam paroeciales, necnon ut Ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem officia celebraturis.

Can. 44 (CIC, can. 484) (nunc can. 43)

§ 1. Sine rectoris aliusve legitimi Superioris licentia, nemini licet in ecclesia Eucharistiam celebrare, Sacramenta administrare aliasve sacras functiones peragere; quae vero licentia detur aut denegetur ad normam iuris.

§ 2. Ad verbi Dei praedicationem in ecclesia quod attinet, serventur praescripta canonum 1337-1342 (recognitorum).

Can. 45 (CIC, can. 485) (nunc can. 44)

Ecclesiae rector, sub auctoritate loci Ordinarii servatisque legitimis statutis et iuribus quaesitis, obligatione tenetur prospiciendi ut sacrae functiones secundum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona diligenter administrantur, sacrae suppellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori provideatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo non congruat.

Can. 46 (CIC, can. 486)

Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, loci Ordinarius ex iusta causa, pro suo prudenti arbitrio ab officio amovere potest; quod si rector sit sodalis Instituti vitae consecratis aut societatis clericorum, servetur, ad eius amotionem quod attinet, praescriptum can. 24 § 2.

